



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Lilivm Inter Spinæ**

**Sterre, Jean Chrysostome van der  
Antverpiæ, 1627**

Cap. III. Scholis applicatus rara pietate colere incipit Virginem-matrem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43032**

mis, quibus seipsum deprimeret, & alios in lætitiam erigeret, vtebatur. Sed quia in hæc quadam præoccupatione dilapsi sumus, iam nunc ad illius infantiæ rudimenta manum simul & animum aduertamus.

## C A P V T III.

*Scholis applicatus rara pietate colere  
incipit Virginem-matrem.*

*Dicit literas.* **S**EPTENNI tempus cùm puer Domini attigisset, studijs est applicatus litterarum: ad quas pro possibiliitate puerilis ingenij capiendas Deidocibilis satis habitatus est. Mox mirum in modum, diuino Spiritu inspiratus, totus ad Dei seruitium puerulus est conuersus: & ceteris conscholaribus suis (sicut moris est) festiuis diebus ludentibus, hic se ab eorum confortio segregabat, & Monasterium B. MARIAE virginis & Dei genitricis ingressus, ante illius imaginem, for-

*Pietas rara adhuc pueri.*

formam Iesu in sinu gerentem, constare consueuit; & modò cum imagine Matri, modò cum Filij, tamquam cum viuis, columbinæ simplicitatis puerulus, loquebatur: & siquid fortè manu gerebat panis aut fructuum, (ut pueris est consuetum) nunc Matri, nunc Filio porrigebat. \* Opinata val- \* Celebris  
dè est, & à suis familiaribus nobis tra- valdè est,  
dita, res miranda, quam loquar. Stetit correxit  
Surius.

aliquando (sicut sibi morem fecerat) ante iconem beatæ Virginis puer sanctus, & pomum quod tulit, illi cum magna instantia & deuotione præbebat. Et ecce, benigna Mater, ut deuotionem pueri commendaret, & ne sibi deuotum contristaret infantein, imaginis manum extendit, & porrectum sibi munusculum de manu pueri gratarter accepit. O verè beata pueri innocentis infantia, quæ tam tempestivis reuelationibus meruit consolari! Quid torqueris, ô Inuidia? Exspecta paululum, & rumpérис. Magis verò conuer-

*Res admi-  
ratione  
digna.*

conuertere, & sanare; vt cum charitate  
hunc puerum nostrum possis inspicere,  
& dicere cum his, qui tantum principium  
cum gaudio admiratur: Quis putas  
puer iste erit? in quo non dubie  
manus Domini operatur.

## CAPVT IV.

*Datur Iosepho cum puerō Iesu  
ludendi facultas.*

**V**BERIORI gaudio Mater gaudij  
tantum gaudium multiplicare  
dignata est, crebrioribus de cetero &  
manifestioribus reuelationibus suo se  
puero manifestans. Cūm igitur die  
quadam, (sicut consueuerat,) se cum  
ludentibus non commiscens, puerulus  
Monasterium introijsset, vidi iuxta  
pulpitum, quod in medio Ecclesiæ si-  
tum est, in eminenti quadam via, in  
specie viuentis virginis, beatam Vir-  
ginem, virginum Reginam, & cum  
ea custodem ipsius Virginis, Ioannem

Euan-